4

Q. D. B. V.

RES MECKLENBVRGICAE,

DVCTV

CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII,

expoſitae

a

IVSTO LVDOVICO Olthoff/ MECKLENBVRGICO,

Anno Iↄc Iↄc LXXVII.

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Diſputatio XXV.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.
cIↄ Iↄc XCIIX.



I.

DVces Mecklenburgici a regibus orti ſunt, qvi ea dignitate usqve ad Pribislaum II. floruerunt, et priſcis Henetorum inſignibus ornati, late dominari coeperunt, qvibus nomen inditum eſt ab antiqviſſima urbe Megapoli, cuius qvaedam rudera ſuperſunt, cuiusqve ex ruinis Vismaria apud ſinum Codanum crevit. V. *Alb. Cranz. Vandal. lib. 7. cap. 11. Ioannes Poſſel. in oratione de Roſtochio. Petrus* Lindeberg. *Chron. Roſtoch. aliique. Civitatis Obotritorum Mechlenburg iam aevo ſuo meminit Adamus Bremenſis l. 4. c. 12.*

II. Idem ille Pribislaus ex gentis ſuae more in manſvetudinem Chriſtianam mutatus, totum illum tractum, qvi inter Albim et mare ad Baltici littoris oram iacet, Saxonicis ritibus imbuit, et plurima in eo genere perfecit, qvae nomen eius immortalitati conſecrarunt. Qvare Helmoldus, cui neqve fidem neqve auctoritatem derogare poſſum, ingenue ſcripſit. *Omnis Slavorum regio, incipiens ab Egdora (qvi eſt limes regni Danorum) extenditur inter mare Balticum et Albiam, per longisſimos tractus usqve ad Zuerin, olim inſidiis horrida, et pene deſerta, nunc, dante Deo, tota redacta eſt velut in unam Saxonum coloniam*, et qvae ibi ſeqvuntur, *lib. 2. chronic. Slavon. cap. 14. De Zuerina V. Detmarus chron. lib. 8.*

III. Sub hoc tempus inſtaurari coeptum eſt Mecklenburgum, a qvo poſtea Obotritorum Principes nomen tulerunt, et ſolenniori auſpicio inde appellati, multa et magna opera perfecerunt. Nam etſi iam ante Pribislaum ibi ſedes

potentiae atqve aula Principum nostrae gentis fuit, tamen Niclotus Obotritorum rex, idemqve Pribislai, a qvo auspicatus sum, pater, gravi ratione inductus, castrum illud igni subiecto cremavit, veritus, ne ab Henrico Guelpho expugnaretur. Helmold. I. c. 87. et II. c. 14.

IV. Itaqve hoc loco aliena est *Megalopolis*, qvae commemoratur in *notitia Episcoporum provinciae Procos.* de cuius situ egregii summiqve viri dubitant, et mendum notant atqve suspicantur eruditi, qvando Megalopolis in fines regiminis Africae proconsularis descripta narratur. Fuitqve haec causa nuper, cur *Henricus Noris* Ioannem Garnerium castigaverit, qvod Africae Magalopolin attribuisset. *In notis ad inscriptiones epistolarum Synodalium, Cl. Viro Antonio Magliabecbio, Sereniss. Magni Ducis Florentiae bibliothecae praefecto, et ob variam exqvisitamqve doctrinam magnopere culto nobis aestimatoqve, dicatis, pag. 26.* Neqve hic referri attinet *Megalopolin* Peloponnesi, qvam Pausanias cum Babylonis illa comparavit, in Arcad. neqve Megapolin Illyricorum Vrbem, cuius meminit Polybius IV. 25. *Nostra, de qva hic loqvimur, Megapolis etiam Magnopolis appellata est, qvod seculo Graecarum literarum rudi est condonandum, apud Helmoldum lib. 1. chron. cap. 87. Conf. Cranzius Vandal. lib. 6. cap. 36.*

V. Cuius urbis memoria eo illustrior esse debet, qvod sumptus ab ea titulus semper est retentus, et Principibus, in republica Germanica eminentem locum consecutis, tantum decus ornamentumqve attulit, ut qvoqve Ducum, qvorum altissimus in imperio gradus est, titulo ornarentur. Graviter Cranzius scripsit, cum propter Vismariam Mecklenburgum oppidum, tum propter Mecklenburgum nomen titulumqve Obotritorum sublatum extinctumqve esse. *Vandal. lib. 7. cap. 11. Dominicus Marius Niger* refert, Vismariam pri-

prius, qvam eo nomine insigniretur, appellatam fuisse *Marionis oppidum, Geograph. Comment. V. p. 75.*

VI. At prudenter et consulto *Venedorum principatus* titulo Serenissimorum Ducum nostrorum additus fuit, cum ut veteris gentis memoria servaretur, tum ut indicaretur, *Obotritorum terram* antiqvo iure in eorum potestare ditioneqve esse. Qvanqvam *Cranzius* Vandalorum et Venedorum nomen confundit, qvum tradit, Duces Mecklenburgicos desiisse appellari Vandalos, qvi revera desierunt Venedorum nomine appellari. Proinde nullo idoneo auctore scripsit *Ioannes Palatius*, Sorabos, qvi superiorem, Albis oram, et Obotritos, qvi patriam meam incoluerunt, partem nationis Vandalorum fuisse, *in Aqvil. Saxon. notat. marginal. p. 4. et alibi.* Neqve tamen negaverim, illos Venedos, qvi VVagri dicuntur, nomini necessitudiniqve Saxonum post insertos fuisse, adeo, ut ductis illuc ex terris Saxonum coloniis, VVagria coeperit dici nova Saxonia, et Holsatiae, qvae alio nomine Saxonia transalbina audit, coniuncta fuerit, etsi ab ea ante et imperio, et lingva discernebatur. De qva Saxonum, Fresonumqve et Hollandorum migratione in VVagriam facta, vid. *Helmoldus l. 1. chron. cap. 57. ex eoqve Ioannes Isacius Pontanus hist. rer. Dan. lib. 5. p. 229.*

VII. Familia nostrorum Principum non modo multis variisqve laudibus cumulata fuit, sed etiam nobilissimae antiqvitatis mensuram implevit. Qvare *Nicolaus Marescbalcus Thurius*, qvo nemo diligentius res patrias pervestigavit, ex vetustissima Anthyrii stirpe originem arcessit, cui assentiuntur *Sebastianus Munsterus, Hieronymus Henninges, Elias Reusnerus, Ioannes Posselius, Ioannes Bocerus*, aliiqve viri doctrina et multa lectione praestantes. Qvorum sententiam neqve refellere, neqve confirmare in animo est. Qvamvis haud desint mihi argumenta, qvibus probem, ultimos laudatissimorum

Principum horum maiores non ex Asia, ubi nunqvam Obotriti militarunt, sed ex Europae illa parte, qvae Sarmatia dicitur, iam diu ante Karolingorum tempora profectos, lumen qvoddam virtutis familiaeqve suae in his oris accendisse, posterisqve suis praetulisse. Tum vero non convenit aetati Alexandri M. ut dicamus, tunc fuisse hereditarios Henetorum Principes, et insignia sua ab eo accepisse. Namqve arma gentilitia, *Bucephali* imagine distincta, ideo more maiorum sumpta sunt, ut denotarent priscam gentis nostrae ferociam, ac simul indicarent insignia illa non fortunae, sed fortitudini esse tribuenda. In qva re valde sibi placuerunt veteres, et a brutis insignioribus virtutum pariter atqve insignium symbola acceperunt. V. *Barthol. Chassanaeus Catal. glor. mund. 78. consid.* Ipse etiam Alexander M. qvi primo Bucephalum domuit, eius imaginem in plerisqve numis extare voluit, cuiusmodi sunt, qvi prae se ferunt effigiem taurini capitis, qviqve literas ΒΟΥΚΕΦ expressas habent. Testis est *Strabo*, eius memoriae urbem Bucephaliam dicasse, *Geograph. l. XV.* Astipulantur *Plinius l. VI. H. N. C. XX. Curtius IX. 3. 23. Solinus cap. XLVII. Stephanus de Vrbibus in hoc vocabulo*; *Aristophanis Scholiastes in νεφελ. p. 123. edit. Biseti.* Nec tamen propterea detraham de summa eruditione meritisqve *Godeschalci*, qvippe excusandi, qvum illa ultima et fabulis involuta respexit: in ceteris ubi tabulas et monumenta usurpavit, magnopere est laudandus.

VIII. Sed ut humana omnia, ita qvoqve Obotritorum iste principatus varias mutationes habuit, et in qvod culmen evectus est, in eo non semper eadem felicitate stetit. Ad Danos delatus est a Canuto eius gentis principe, qvi posteaqvam Henrici I. propago defecerat, regnum Obotritorum, qvod illius propinqvis Pribislao et Nicloto debebatur, a Lothario II. imperatore Anno M. CXXXIII. traditum susce-

cepit. Eo a Magno patruele interempto, VValdemarus Canuti filius cum Henrico Leone Gvelfo Pribislaum, Nicloti II. filium multis bellis fatigavit, adeo ut magna regionis parte multaretur. Itaqve rebus plane inclinatis, in pacem consensit, et se suosqve ex superioribus molestiis recreavit. Fuitqve hic ultimus Obotritae gentis regum, Princeps magni sane animi, summisqve periculis defunctus, cui a divino numine tributum est, ut animum a profana superstitione pertinaciaqve, ad cultum religionemqve Christianam revocaret, et Principatum a duobus hostibus vastatum et direptum templis aedificiisqve ornaret. Qva in re Godeschalcum proavum est imitatus, qvippe qvi religionis causam omni felicitate potiorem duxit, et auctoritate meritisqve patriam cumprimis firmavit. *V. Helmoldus l. 1. cap. 49. seqq. Abbas Stadens. an. 1133.*

IX. Qvo factum est, ut Principes nostri comiter haberent Duces Saxoniae, et qvae illis e re visa essent, minime tunc aspernarentur. Cuius rei exemplum satis luculentum in Pribislao reperiamus, qvi et propositas ab Henrico Duce conditiones accepit, et qvae ille probasset, sibi non displicere est testatus, *apud Helmoldum l. 1. c. 83.* Tum vero tradit *Franciscus Irenicus*, Principes nostros, cum per iniqvam belli fortunam de loco regio dimoti fuissent, *partim sub ducatu Saxoniae, partim sub Pomerania comprehensos fuisse, German. exeges. l. III. cap. XCIIX.* Neqve me fugit, non modo Mecklenburgicos, sed etiam Pomeranos Venedosqve prope omnes Canuto V. Daniae règi aliqvando paruisse. *Io. Is. Pontan. hist. Dan. l. 6. p. 291. Io. Posselius* etiam affirmat, Nicolotum Valdemari filium Rostochium Erico IX. regi Daniae permisisse, qvod post certis conditionibus ab Henrico Leone est receptum, *Orat. de Rostoch. p. 19.*

X. Cuius mutatae dignitatis causae et diligenter, et gra-

graviter a Carolo IV. sunt expensae, qvando Albertum et Ioannem, Henrici Leonis filios, in Ducum fastigium evexit, et palam comprobavit, hoc regiae stirpi se tribuisse, qvod ad Bucephali caput, qvo insignia eorum constant, Coronam adiunxisset. *Munsterus Cosmogr. l.3.c. 459. ex eoqve Limnaeus l.p.l.5.c.12. Conf. Ioannes Bocerus in historia ducum Mecklenburg. versibus exarata.* Inaugurationis solennia peracta sunt Pragae anno supra millesimum trecentesimum qvadragesimo nono. V. *Ioannes Dubravius hist. Boiem. l.22. Io. Is. Pontan. hist. Dan. lib.7. ad. h. an.*

XI. Captabat qvidem dissidii causam pro more suo Carolus IV. propterea qvod nil perinde cuperet et vellet, qvam ut Albertum et Ioannem contra Ludovicum Bavarum socios adiutoresqve haberet. Idcirco hanc eius evertendi rationem iniit, atqve adeo Principes, qvorum ope auxilioqve contra vicinum potentemqve aemulum indigebat, tam luculento beneficio sibi conciliavit, non passurus, ut is Marchia Brandenburgica, cuius heredes Ascanii defecerant, in proximo potiretur. Eo consilio fallaciam invenit, et rumorem dissipavit, tanqvam VValdemarus nondum esset mortuus, et hominem qvendam instruxit atqve subornavit, qvi diceret, se esse Marchionem VValdemarum, ut Ludovicum marchionem summoveret, *Albertus Argentinensis Chron. p. 146. Io. Dubravius hist. Boiem. l. 22. Io. Micraelius Chron. Pomeran. lib.3.p.333. qvi istius PseudovValdemari, qvem molae operam dedisse constat, nomen refert, ac monet, eum iuvenili aetate armigeri munia in aula veri Marchionis VValdemari obiisse, atqve adeo negotiorum ipsius haud ignarum fuisse.*

XII. Nunc instituto meo convenit, ut divorum Principum memoriae tribuam, qvas et qvo iure provincias acqvisiverint, qvibusqve modis vetus patrimonium redintegraverint. Sane enim fortuna qvoqve multa ipsorum meritis

re-

rependit, et hereditatibus connubiisqve auxit firmavitqve. Qvanqvam de *Stargardiae* dynaſtia incertum reliqverunt hiſtorici, qvo titulo in eius poſſeſſionem venerint, qvoqve tempore hereditario Dynaſtarum Stargardiae nomine appellari coeperint. Ego certum habeo, Stargardiam illam veterem, qva adiectione a Stargardia Pomeraniae ulterioris urbe diſtingvitur, ab Obotritis eſſe aedificatam. Inde ad Marchiones Brandenburgicos Aſcaniae gentis pervenit: poſtea ad Henricum Leonem Mecklenburgicum delata eſt, qvando is tractum illum dotis nomine acqviſivit, et hereditarium ius atqve titulum Dynaſtae Stargardenſis ad filios ſucceſſoresqve ſuos devolvit. Cuius filius Ioannes Stargardiam omni elegantia aulaqve excoluit. Inſpexi tabulas, in qvibus Henricus Leo *dominus Stargardiae* appellatur. Exemplum eſt diplomatis apud *Ioannem Iſacium Pontanum*, ubi Ericus VI. Daniae rex *dominium Roſtochienſe* eidem poſſidendum tradidit, in qvo *dominus Henricus Megapolenſis ac Stargardiae* nominatur, *hiſt. Dan. l. 7. an. MCCCXVII.* Eum *Ioannes Micraelius Chron. Pomeran. l. 3. p. 323.* VValdemari Marchionis et Septemviri Brandenburgici generum ſcribit. Vnde factum memorat, ut Henricus iure huius connubii, extincto ultimo Marchione Brandenburgico-Aſcaniae ſtirpis, Prenzlaviam, Paſevvalcum et Marchiam Vckeranam, tanqvam ditionis Brandenburgicae, praetenderet, *ibidem.* Qvem tamen Reusnerus Henningeſium ſecutus, aliiqve haud infimi auctores, Alberti Marchionis Brandenburgici filiam duxiſſe tradunt. Βασιλ. p. 462. Reusneri ſententiam et adduxit et probavit *Ioannes Limnaeus iur. publ. lib. 5. cap. 12.* Hisqve ut accedamus, facit Cranzii rerum Mecklenburgicarum peritiſſimi auctoritas. Qvi refert, Henricum Leonem, ducta Alberti Marchionis Brandenburgici filia Beatrice, partim iure belli, partim iure emptionis *tractum Stargardenſem*, qvi antea

tea in ditione Marchionum fuerat, obtinuisse, et a Christophoro I. Erici VI. de qvo ante traditum est, fratre, et in regno Daniae post occisum Abelem successore, in solidum cessam perpetuo ad posteros iure consecutum fuisse, *Vandal. lib. 8. cap. 3. et 4.* Constat enim indubitatis sane monumentis, Henricum tres uxores habuisse, primam Alberti, alteram Rudolfi Saxonis Ascanii filiam, tertiam Rugiae Principis viduam. *Cranzius ibidem.* Qvare dubiae et dissidentes qvorundam sententiae nunc nullo negotio intelligi iudicariqve possunt.

XIII. Verum prosapia Ioannis Ducis Henrici Leonis F. cui Stargardia obvenit, floruit usqve ad Vlricum, qvi anno M CCCC LXXI. rebus humanis exemptus, propaginem suam terminavit. Qvo casu accidit, ut Magnus, qvi ex Alberto I. descendebat, *Stargardiam* faustis patriae auspiciis cum ducatu Megapolensi coniungeret, et splendore nominis potentiaqve valde se illustraret. *Dav. Chytr. Sax. l. 1. p 42. Superiora attigerunt Petrus Lindebergius Chron. Rostoch. l. 2. cap. 10. Melch. Nebel. in descript. Germanica regionis Mecklenburg Abrahamus Sauer, Ioannes Micraelius, aliiqve.*

XIV. Ita cum neqve fructu laborum, neqve iustis accessionibus carerent nostri Principes, haud exiguo terrarum spatio aucti, in pace felicitateqve sua conqvieverunt. Qvanqvam autem neqve aliena affectarunt, nec, qvantum in ipsis fuit, regiones suas incertis dubiisqve bellis obiecerunt, tamen ex fortunae incrementis haud parvam subinde voluptatem ceperunt. Eum ad modum sortiti sunt *Comitatum Svverinensem*, qvem Henricus Leo Guelphus in Guncelinum, ex Bartenslebiis, qvorum generis summus semper fuit splendor, contulit. Huius posteri virilis sexus in Ottone, cui Rosae cognomen erat, defecerunt. Sed unica eius filia, atqve Comitatus heres Richardis Alberto II. huius nominis, Megapolitano Duci nupsit, et maritum tam luculenta possessione, qvae etiamnum in ditio-

tione nostri Principis est, auxit ornavitqve. *V. David Chytraeus Saxon. lib. 13. p. 327. Meibomius in chron. Hermanni de Lerbeke p. 60. Chronicon Brunsvicense p. 143. Cyriacus Spangenberg. in spec. Nobilitat. fol. 298. Alioqvi Gunzelini memoria celebratur passim in monumentis Helmoldi atqve Arnoldi Lubecensis.*

XV. *Vismaria*, qvam Guncelinus II. Comes instauravit, anno M CCCI. pervenit ad Henricum Ducem Megapolitanum, qvi ob navatam bello sacro operam Hierosolymitanus dici coepit: a qvo tempore fuit iuris Mecklenburgici, et rebus bello tricennali turbatis, erepta qvidem Ducibus nostris, sed anno M DC XXXII. ab Adolpho Friderico, foedere et viribus Gustavi Adolfi regis, recuperata. Demum cum pacis caussa pactum Osnabrugae fieret, Svedis foederatae militiae satisfactionem poscentibus, praeter Principum nostrorum culpam A. M DC XLIIX. cessa est, mansitqve in horum potestate usqve ad A. M DC LXXV. qvo Dani occupatum etiamnum sub imperii clientela possident, ad priores dominos rediturum, siqvidem ius postliminii valiturum esset, ferretqve ita ratio satisfactionis belli socialis. *V. post Cranzium Dav. Chytraeus Saxon. p. 252. conf. Ioannes Regkmann. in chron. Lubecens. Io. Angel. a VVerdenhagen part. 3. cap. 22. de rebuspubl. Hans. Io. Lindeberg. Chr. Rostoch. lib. 3. qvi pleraqve iucunda et pragmatica eius urbis tractarunt.* Eam Henricus, de qvo iam commemoravi, armis in potestatem suam redegit, et iure Lubecensi, multisqve et magnis privilegiis donavit, qvi et ibidem e vita decessit. *Chytr. cit. l. Reusnerus. Βασιλ. p. 4 1.* Portum habet commodissimum, et navigationi maris Baltici opportunissimum, in qvem iam, veteri privilegio Ottoniano, Sverinensibus civibus navigandi libere ac sine onere ius est. *Spreng. iuris prud. publ. lib. 3. cap. 21.* Insula Paluda, vulgo Poel nominata, rudera qvaedam antiqvitatis priscorum Slaviae regulorum ostendit.

XVI. *Principatus Venedorum*, A. M CCCC XXXI. mortuo VVilhelmo, ultimo VVendiae Principe, propter communem ſtirpem ad Mecklenburgi et Stargardiae Duces tranſiit, atqve nomen hoc a priſcis tributum ſeculis conſtanter ſervavit. *Cranzius Vandal. lib. 11. cap. 30. Chytr. Sax. pag. 42.* Eſtqve hic recte et inſtituto noſtro convenienter explicandum, qvod adducto loco ſcripſit Cranzius, duces Megapolitanos et Stargardiae principatum Venedorum obtinuiſſe, *non tam ſucceſsione hereditaria, qvam placito inter ſe Principum, accedente procul dubio imperiali confirmatione.* Ea enim verba valent ad indicandam ſucceſſionem *feudalem*, iuxta qvam, propter agnationem primi acqvirentis, iure non mere *patrimoniali*, ſed beneficiario ſuccedebant, atqve adeo ſaltem ob ius ex pacto et providentia maiorum conſtitutum, atqve ab ultimo ſtipite ad ſe derivatum, erant heredes *feudales*. Qvo pacto ipſe ſe declaravit *Vandal. l. 7. cap. 10.* qvum ſcripſit, *morientes Vandaliae* (VVendiae rectius) *Principes proxima ſucceſsione transmiſiſſe illum titulum* ad duces Megapolenſes. Qvibus non *allodialem*, ſed *feudalem* principatum ſtylo iuridico liceat denotare. Conſtatqve alias, hunc et ceteros principatus ducatusqve eſſe virilis generis, hoc eſt, ut loqvuntur in iuris peritorum ſcholis, *feuda maſculina*, atqve adeo ad feminas non deferri. *V. Cranzius Vand. l. XI. cap. ult.* Ceterum Venedorum Principatus oppida continet, *Guſtrovium, Parchim, Plavve, Malchim*: ut mirum ſit, VVendiam, qvae magnam qvondam Europae partem implevit, in tam exiguos fines redactam. *V. Cranzius Vandal lib. 7. cap. 10. Domizium*, qvod nunc eidem principatui annumeratur, a Marchionibus Brandenburgicis A. M CCC XXIIX. pignori oppoſitum fuit Comitibus Svverinenſibus, atqve his in univerſum extinctis, cum cetera eorum hereditate Ducum noſtrorum patrimonio accrevit, et firmo

per-

perpetuoqve iure in ea familia permansit, situ, operibus validum, vectigaliqve Albis praeditum, a qvo nervi qvasi artusqve potentiae Serenissimi Ducis Svverinensis Christiani ducuntur. Interim vid. *Andreas Angelus Chron. Marchic. l. 2. p. 136.*

XVII. *Rostochium,* qvae illustris ad Varnum civitas est, anno M CLX. a fundamentis aedificavit Pribislaus II. Nicloti filius, immunitatibus beneficiisqve auxit Burevvinus, forumqve eius ex praescripto iuris Lubecensis ordinavit, et postea amplificavit magis atqve excoluit Burevvinus II. cuius urbis luculentum eruditumqve *chronicon* composuit *Petrus Lindenbergius*, *spectatqve huc oratio Ioannis Posselii de inclyta urbe Rostochio, anno cIↄ Iↄ XIC. Francofurti ad Moenum edita.* Tractus Rostochiensis, perinde ut tota Obotritorum regio, qvae est hodierna Megapolis; aliqvandiu Danis fuit obnoxius, atqve a Principatu Megapolensi separatas rationes habuit, qvoad vixit Nicolaus, qvi puer de Rostochio appellatus est: qvo mortuo, Rostochiensis districtus principatui Megapolitano insertus perpetuoqve iunctus fuit, *Cranzius Vandal. lib. 6. cap. 24. et lib. 7. cap. 36.* Illic Academiae sedem collocarunt Ioannes et Albertus, duorum fratrum filii, auspiciis anno MCCCCXIX. factis. Privilegia pro illorum temporum opinione Martinus V. Pontifex est impertitus. In ea insignes Viri semper floruerunt, ac historiam bonasqve literas praecipuae illustrarunt *Albertus Cranzius, postea Hamburgensis Ecclesiae Decanus, Nicolaus Marscalcus Thurius, deinde Consiliarius Mecklenburgicus, cuius annales Vandalicos iam supra et merito laudavi, Ioannes Bocerus, ob scriptam versibus historiam regum Daniae, Ducum nostrae gentis et Holsatiae iure, memorandus, Ioannes Posselius Graecis Latinisqve literis famam adeptus, et de Rostochio, habita singulari oratione, bene meritus, Ioannes Caselius, vir in omni*

eruditionis genere summus, qvi, postqvam hic magna cum laude docuit, ad ornandam Academiam Iuliam post est accitus, David et Nathan Chytraei, qvorum et dotes maximae, et merita immortalia nulla oratione satis celebrari possunt. Cranzius, ob motus saepe in ea urbe excitatos, hanc talem fortunam ab infausto sidere deduxit, *Vand. lib. 7. cap. 49.* In qvo ab eo dissensit *VVaremundus de Ehrenberg*, id est, Eberhardus a VVeihe, vir iurisprudentissimus, qvi perperam ita existimasse Cranzium tradit, *de foed. lib. 1. cap. 1.* Nec diffiteri possum, Cranzium interdum alieniorem ab iis fuisse, qvorum beneficia praedicare debuisset. Vixit is aliqvandiu in Collegio Canonicorum Naumburgensium, et diaconi partes obiit, sed erga illos haud gratum semper se ostendit, e qvorum regione egressus fuit. Causae dissidii inter Duces et urbem coepti, qvod in qvinqve annorum bellum erupit, *vid. ap. Cranzium Vandal. lib. 14. cap. 1. seqq.* Dissensiones inter fratres Ioannem Albertum et Vlricum, atqve urbem exortas perseqvitur *Dav. Chytraeus in brevi Chronico Arctoae partis Germaniae An. 1587. excuso p. 92. seqq. collat. Saxon. lib. 22. pag. 619. seqq. Iacob. Aug. Thuanus hist. lib. 38. pag. 716. seq. De Controversia inter Serenissimos Duces Christianum, et Gustavum Adolphum V. Thuldenus hist. Europ. ennead. 2. lib. 1. pag. 18.* Sed ea cum ad motum spectaret, interventu Ordinum paulo post tranqvillitati publicae remissa est. Qvanqvam autem praedicta civitas societate *Hansica* continetur, tamen est sub imperio civili nostrorum Principum, et privilegia sibi tradita amplissima fide obseqvii retinet ac tuetur. Gedano et Sundio antiqvior est, propterea qvod illud auspiciis VValdemari I. anno M CLXIV. prima initia habuit, atqve ea de causa *Dansvvic* appellatum, urbis nomen et formam aliqvanto post accepit: hoc regnante VValdemaro II. anno M CCX. et conditum a Danis, et coloniis

niis Saxonicis cultum fuit. Visimaria serius aedificata est, qvae tamen omnes maritimas eius limitis urbes opportunitate portus vincit, cumprimis Rostochium, qvod ex ea re vehementer laborat, atqve adeo ad Varni exitum, ubi munitio, sive pharus *VVarnemunda* est, merces exponit in urbem devehendas. V. *antiqvitatis causa Cranzius Vandal lib. 7. cap. 5. cap. 11. Io. Is. Pontanus hist. Dan. lib. 6. p. 302. Io. Possel. de Rostoch pag 13. conf. Lindeberg. lib. 1. cap 8. Ioannes Magnus hist. Goth. l.b. 18. cap. 19. in qvo inest mendum chronologicum. Cyprianus Eichovius refert, an. post C. N. CCC XXIX. iam tum ibi fuisse pagum levibus initiis conditum, qvod fabulis est adnumerandum, delic. German. pag. 138. Eas vero omnes vetustate praestat Lubeca, de qva vid. post Helmoldum Abbas Stadensis an. 1139. Cranzius Vandal. l. 6. c. 30. seq. l. 7. c. 14.*

XVIII. Praeterea huic scripto mandandum duxi, qvae bonorum Ecclesiasticorum accessiones nuper ad Ducatum nostrum factae fuerint. Ex his primo loco memorandus est *Episcopatus Svverinensis*, qvi regnante Henrico IV. * in urbe Megapoli constitutus, et postqvam a Slavis, ad superiorem superstitionem relapsis, deletus est: imperante Friderico Aenobarbo ab Henrico Leone Guelfo ** instauratus, atqve in oppidum Sverin translatus fuit. Extant huius *literae fundationis*, in qvibus testatus est, *se pro remedio animae et parentum suorum ad propagandam Christianam religionem, in terra Slavorum transalbina, in loco horroris et vastae solitudinis, tres Episcopatus *** construxisse, allodiis, reditibus men-*

sae

* *A. M LXII.* ** *A. M CLXX.* *** *Aldenburgensem, qvi Lubecam translatus, hoc nomine tituloqve solus superest apud Protestantes, nondum* secularisatus, *Meklenburgensem, qvi Sverinensis dictus est, Ratzeburgensem, qvi hoc nomen servavit.*

sae suae dotavisse, insuper ea, qvam gladio et arcu suo qvaesiverit, hereditate ampliasse. Inde Episcopatum Svverinensem nominat, et in curando restituendoqve eo magnum laborem operamqve se posuisse affirmat. V. *Adamus Bremensis lib. 3. H. E. cap: 23. Cranzius Metropol. lib. 6. cap. 25. 39. et lib. 7. cap. 20. Chytr. Saxon. lib. 1. pag. 43. Chron. Riddagsbusan. pag. 5.* Atqve hic Episcopatus, perinde ut Razeburgensis, obnoxius fuit iuri metropolitano Ecclesiae Bremensis; sed dignitatem Principis Ecclesiastici iure seculi mutavit, sessionemqve simul et suffragium inter Principes profanos, sive seculares est adeptus. *Instrum. Pac. Osnabrug. art. 12.* Qvod summae rationis et aeqvitatis fuit, ut propter abalienatam civitatem portumqve *Vismariensem* et conveniens satisfactio offerretur, et praestaretur. Nam neqve culpa in Ducibus nostris resedit, neqve ullo facto tale qvid commeriti erant, ut tam luculenta patrimonii sui parte, qva in tota Germania nec aptior, nec utilior est ad rem maritimam, privarentur. Qvia autem evidens erat necessitas finiendi belli, qvod sine ea cessione finiri non potuit, Serenissimi Duces de iure suo decedere, et reipublicae causa in compensatione acqviescere necesse habuerunt. Alioqvi sua potius retinere cupiebant, atqve adeo per legatos contra obtestabantur, causamqve suam omnibus modis defendebant. Sed qvoniam Germaniae tunc res ob bellum afflictissimae, et consiliorum voluntatumqve dissidentium impeditissimae rationes erant, passi sunt tandem fieri, qvod mutare non potuerunt. Cumprimis qvod viderent, nullas ibi neqve preces, neqve obtestationes, nec qvestus Brandenburgicorum valuisse, qvippe qvi in eiusmodi pacis instaurandae conditiones nullo modo consentire volebant, et tamen necessitate temporum ipsi qvoqve tandem vincebantur, qvum nil opis

auxi-

auxiliiqve in amicis et sociis, nil praesidii in postulatis et rationibus haberent, atqve sic publicae utilitati remitterent, qvod turbidus temporum status ita ferebat, ut imperatoris atqve imperii voluntati concederent, et qvod iure ceteroqvi retinere debuissent, abalienari paterentur. Fuitqve hoc grave *Dominii Eminentis* in republica nostra exemplum, ex actis illorum sane difficilimorum temporum erutum. V. *Theatrum Europaeum T. V. et VI. passim.* Verum ratione dicti Episcopatus, in patrimonium Serenissimi nostri Ducis addicti, perpetuus Academiae Rostochiensis *Cancellarius* idem ille audit. *Episcopatus Raceburgensis* sub Henrici IV. Salici imperio coeptus est ab Alberto Archiepiscopo Bremensi, sed posteaqvam Venedi, officium et sacra deserentes, iterum insurrexerant, eversus est, donec ab Henrico Leone Gvelpho faustis initiis instauratus, atqve egregiis reditibus ornatus atqve locupletatus fuit. Qvibus rebus evenit, ut Henricus Dux ius inaugurandi hunc et ceteros Slaviae Episcopos, etiam permissu imperatoris, conseqveretur. Cuius rei idoneum auctorem habeo *Helmoldum, ex qvo Cranzius summa capita desumpsit Metropol. lib. 6. cap. 28. Conf. Chytraeus Saxon. lib. 2. pag. 63.* Fuitqve Raceburgi et Rostochii fortuna haud multum dissimilis, qvando utrumqve ex vicinis ruinis, illud ex Bardavvicii a Leone Gvelpho diruti, hoc ex Kissini ab eodem destructi et solo aeqvati, crevit, tantaqve incrementa cepit, ut multi homines eo confluerent, atqve ibi permanerent, Rostochium vero inprimis mercaturae commerciis celebraretur, qvod luculenter executus est *Lindebergius.* De *Comitatu Raceburgensi vid. Cranzius Vandal. lib. 6. cap. 31. et iam ante eum Arnoldus Lubecensis lib. 4. cap. 7.* Vnde dicti sunt Comites Racenburgenses, qvorum familiam condidit *Henricus de Badevvide*, ut eum nominat Helmoldus, etsi *Hermannus de Lerbeke* scripsit *Henricum de*

Aardevvick : Chron. Comitum Schavvenburg. p. 12. Qvi Comitatus extincto Bernhardo III. Comitum Raceburgensium ultimo, ad duces Saxoniae, a qvibus iure beneficiario pendebat, rediit, qvod est ipsum *directum utileqve dominium terrae Palaborum. V. Cranzius d. l.* Ceterum *Episcopatus Raceburgensis* anno M DC XLIIX. ad ius seculi redactus, atqve in confecto cessionis compensationisqve negotio, Ducibus Svverinensibus perpetuo iure attributus, nunc haud aliter, qvam alius secularis Principatus, cum annexa sessionis et suffragii dignitate possidetur atqve administratur, *Inst. Pac. Osnabr. art. 12.* Eam ob causam anno M DC LII. praesules Ecclesiastici Raceburgenses Duci Adolpho Friderico, atqve eo defuncto, Serenissimo Duci Christiano sacramentum dixerunt, atqve ditionis imperiiqve eius fructum ceperunt.

XIX. Constitutis ita rebus, *ambo Episcopatus* in principatum seculi mutati, in familia sexus virilis tantum haerebunt, et perinde ut ducatus Mecklenburgicus, sola successione marium, ad omnes usqve posteros Ducum antiqvissimae huius stirpis, perpetua serie continuabuntur. *Inst. Pac. d. t.* Vnde seqvitur, *Svverinensem* ornare tueriqve summum Ducis in republica Germanica locum, in qvantum tria suffragia principalia habet, et primum qvidem, qva Dux Svverinensis, alterum qva Episcopus Svverinensis, tertium qva Episcopus Raceburgensis. Dux Gustroviensis unum duntaxat suffragium inter Principes dicit. *V. instr. Pac. d. l. et subscriptiones R. I. 1654.*

XX. Ad hanc compensationis aeqvitatem spectabat, qvod Duci Gustroviensi, Gustavo Adolpho, propterea qvod Episcopatus Raceburgensis designatus administrator fuerat, duo beneficia Ecclesiastica, sive *Canonicatus*, si tales Magdeburgi et Halberstadii vacare contingeret, impertiendi promittebantur. Praeterea familiae Megapolitanae pro certa por-

portione reditus, ex praetensis duabus Ecclesiae Argentoratensis *Canonicatibus* obventuri, addicebantur. Et ne qvid valori satisfactionis deesset, duae praefecturae sacrae, id est, *commendae* Hierosolymitani Ordinis Eqvitum D. Ioannis, eaeqve in ducatu Megapolitano sitae, assignabantur, ita ut altera earum *Mirovv* Svverinensi, altera *Nemerovv* Gustroviensi in perpetuum attributa esset maneretqve. V. *Instr. Pac. saepius adductum.*

XXI. In has dignitates evecti, nemini Principum vel vim, vel molestiam ullam attulerunt, nisi qvod ob vectigal *VVarnemundanum* iustas qverelas in Comitiis exposuerunt. Cum enim Svedi vectigalis, apud *VVarnemundam* exigendi, ius potestatemve pacto Osnabrugensi tributam esse sibi dicerent, atqve in eam rem verba *Instr. pac.* §. *praeterea*, adducerent, non modo imperator atqve imperii Principes contradixerunt, sed etiam Serenissimi Duces nostri hanc pro iure suo atqve salute suae ditionis commerciorum susceptam caussam omni studio sunt persecuti. Argumenta, qvibus negabant talem servitutem vectigalis ab se deberi, multa et solida fuerunt. Etenim ius imponendi vectigalis I. ex intentione paciscentium imperatoris et imperii est intelligendum. II. Atqvi haec intentio qvalis fuerit, qvamqve in sententiam valuerit, mox apparuit, qvum Svedi vectigalis apud VVarnemundam exigendi initium fecissent. Simul ac enim id coeptum est, publicis contradictionibus et *protestationibus* imperatoris et imperii Principum postulata ipsorum sunt reiecta. III. VVarnemunda, salva territorii potestate ducum nostrorum, continetur finibus iurisdictionis Rostochiensis, ad qvam iurisdictio Svedorum nullo praetextu iuris proferri poterat. IV. Itaqve longius ab intentione paciscentium discesserunt, qvum privilegium alioqvi odiosum, et duntaxat pro suo territorio concessum, inceperunt porrigere ad territorium alienum. V. Ver-

ba *Megapoleos* non valent ad omnem Megapolin maritimam denotandam, ſed pro ea parte, qva pacto Oſnabrugenſi ceſſa, et in Svedos collata erat. VI. Niſi enim propoſito conventionis pragmaticae convenienter intelligantur, multae nec ſecum conciliandae concluſiones inde ſeqventur. VII. Non qvidem neſcimus, privilegia aliqvando in alieno territorio acqviſita et uſu probata eſſe: ſed hic qvaeſtio vertit, utrum iure pacti VVeſtphalici tale ius doceri potuerit et firmari. Qvod negamus conſtanter, atqve huius rationis ſimilitudine utimur. Eodem ceſſionis capite Svedis tributum ius eſt condendae Academiae, ubi et qvando, id eſt, qvo in loco temporeqve velint. At nemo erit tam iniqvus, ut putet, Svedos hoc ius nactos, etiam alibi, qvam intra fines ſuae ditionis, *vigore huius* §. Academiam condere potuiſſe. Ne nunc addam, id qvod iure illicitum, occaſioneqve belli et turbatae reipublicae in perniciem commerciorum introductum fuit, iure eſſe abolendum.

XXII. De ſeſſionis et ſuffragii dicendi ordine, uſu rationumqve praeſidio a noſtris Ducibus firmato, alii diffuſe egerunt, ac ipſe etiam principia cauſasqve praerogativae illorum ex veris atqve luculentis rerum domeſticarum commentariis hauſi. Eo vid. *Ioannes Limnaeus addit. ad l. 5. c. 12. Iacobus Andreas Cruſius de praeemin. l. 4. c. 12.* Sediſſe enim ante Duces Iuliacenſes, et locum hunc cum ratione antiqvitatis, tum obſervatione priſci moris conſvetudinisqve tenuiſſe, publicis documentis dudum comprobarunt. Tribunal Principale *Sternbergae* eſt, ac privilegium de non provocando ad iudicium Spirenſe habent, qvoad ſumma litis non excedit CCC. florenos. Circulo Saxoniae inferioris, qvo comprehenduntur, magnum robur ſecuritatisqve adiumentum praebent, et ius atqve leges imperii, hoc qvoqve turbido et miſero temporum ſtatu ſumma fide atqve diligentia tuentur. Qvod, non dubito, qvin Sereniſſimis Ducibus bene eventurum ſit, precorqve Deum, ut voto meo exitus congruat, et patria tandem a bellis reſpiret, priſtinamqve felicitatem conſeqvatur, et perpetuam ſervet.